

CONSTITUTIO ECCLESIAE VETERO-CATHOLICAE IN RE PUBLICA BOHEMICA

CAPUT I INSTITUTA GENERALIA

§ 1

Ecclesiae vetero-catholicae in Re publica Bohemica perceptio naturae suae

(1) Ecclesia vetero-catholica in Re publica Bohemica (protinus tantum „ecclesia vetero-catholica“) particularis ecclesia populi Dei est, quae pars est unius sanctae catholicae apostolicaeque Ecclesiae habentis fundamentum suum in Dei opere salutis in Iesu Christo perfecto, quae in Spiritu sancto fideliter in fundamentis apostolicis, institutis et in cultu divino permanet, fidem Ecclesiae primi millennii indivisae confitetur, ecclesia sui iuris est.

(2) Christiani in ecclesia vetero-catholica congregati fidem veteris Ecclesiae conservant, sicut ab apostolis testibusque fidei tradebatur et expressa in symbolis oecumenicis et dogmatibus universaliter comprobatis oecumenicorumque conciliorum decretis Ecclesiae primi millennii indivisae mansit.

(3) Causa historica, ex qua Christiani catholici gravibus conscientiae angustiis ad ecclesiasticam formationem sui iuris creandam coacti sunt et quae semper manet, impossibilitas est dogmatum I. concilii Vaticani (1870) accipiendorum de universali iurisdictione Romani pontificis eiusque infallibilitate in rebus fidei moribusque, quae Sanctae Scripturae, sicut et fidei doctrinaeque veteris Ecclesiae contradicant.

(4) Ecclesia vetero-catholica etiam traditionem Cyrilli Methodiique, hereditatem Magistri Ioannis Hus, Magistri Ioannis Rokycana et ecclesiae catholicae sub utraque Bohemiae profitetur. In his suis antecessoribus historicis continuitatem perspicit spiritualem quaerendae et inveniendae formae catholicitatis apostolicitatisque in fidelitate Sanctae Scripturae et apostolicae traditioni veteris ac indivisae Ecclesiae. Quibuscum congruens Ecclesia vetero-catholica etiam nomine historico Ecclesia catholica sub utraque Bohemiae utitur.

(5) Ecclesia vetero-catholica membrum est Unionis Ultraiectensis ecclesiarum vetero-catholicarum et episcoporum, qui eis praesunt. In Internationali conferentia episcoporum Unionis Ultraiectensis ab episcopo ecclesiae vetero-catholicae repraesentatur. Propositum Unionis Ultraiectensis primum est catholicitatem in unitate fidei tradendae servare, in qua plena servatur autonomia ecclesiae vetero-catholicae in omnibus administrationis rebus, ad quas instituta huius praescripti pertinent.

(6) Ecclesia vetero-catholica studet, ut instrumentum mediatorque serviat ad divisos Christianos, ecclesias et alias Christianas communitates ecclesiasticas coadunandas unitatem Christi ecclesiae intellegens.

(7) Ecclesia vetero-catholica in episcopali synodali que institutione sita et ecclesia localis in vetero-ecclesiastico sensu est. Episcopus ecclesiam vetero-catholicam immediate ducit in coniunctione cum populo Dei in ecclesia vetero-catholica congregato atque cum eo ipso efficienti et decernenti.

(8) Membra ecclesiae vetero-catholicae in libertate conscientiae spondent se in concordia cum ecclesia sua victura, ordines eius cultura, pro rebus unitateque huius ecclesiae contentura.

§ 2

Participatio ecclesiae vetero-catholicae

(1) Membrum ecclesiae vetero-catholicae persona fit physica, quae in ecclesia vetero-catholica baptizata est; etiam persona, quae in alia denominatione Christiana baptizata erat et voluntate sua ad ecclesiam vetero-catholicam professa est, fieri potest.

(2) Ius de acceptione personae decernendi, quae voluntate sua ad ecclesiam vetero-catholicam professa est, consilii paroecialis est, resp. consilii paroeciae filialis in loco, quo eadem persona voluntate sua professa est. Si consilium paroeciale, resp. consilium paroeciae filialis candidatum participationis repudiat, idem candidatus facultatem habet coetus paroeciae vel paroeciae filialis competentis appellandi, qui de petitione eius decernet.

(3) Participatio ecclesiae vetero-catholicae extinguitur: voluntario egressu, exclusionem vel morte. De interitu participationis notatio conficitur in registro membrorum competentis paroeciae vel paroeciae filialis.

(4) De membro ecclesiae vetero-catholicae excludendo synodus decernit, et quidem ex causa gravis principiorum violationis, quae in § 1 huius constitutionis Ecclesiae vetero-catholicae in Re publica Bohemica (protinus tantum „Constitutio“) expressa sunt.

§ 3

Ecclesia vetero-catholica et res publica

(1) Ecclesia vetero-catholica persona est iuridica autonoma secundum ius Rei publicae Bohemicae. Nomen ecclesiae vetero-catholicae est: Ecclesia vetero-catholica in Re publica Bohemica.

(2) Suam operationem ecclesia vetero-catholica cum ordine iudiciali Rei publicae Bohemicae congruenter exsequitur.

(3) Sedes ecclesiae vetero-catholicae ut personae iuridicae Praga est.

(4) Ecclesia vetero-catholica secundum ius Rei publicae Bohemicae alias instituit personas iuridicas vel consocios alterius personae iuridicae fieri potest. Munerum exsequendorum causa ecclesia vetero-catholica etiam instituta specialia instituere potest.

CAPUT II

AUCTORITATES ADMINISTRATIONIS ECCLESIAE VETERO-CATHOLICAE

Auctoritates administrationis ecclesiae vetero-catholicae sunt:

- a) synodus
- b) episcopus vel administrator ecclesiae
- c) consilium synodale

CAPUT III

SYNODUS

§ 4

Synodus summa auctoritas est administrationis ecclesiae vetero-catholicae. Electione delegati eius singulas paroecias filialesque paroecias repraesentant. Synodus vitam ecclesiae vetero-catholicae praesentat, coordinat, adiuvat, praescripta ecclesiae vetero-catholicae interiora probat et in omnibus quaestionibus ecclesiae vetero-catholicae ultimum decretum ei competit exceptis rebus doctrinae de fide iisque, quae episcopo potestate officii eius reservatae sunt. Omnes auctoritates administrationis ecclesiae vetero-catholicae ei partes eis mandatas regendi rationem reddunt. In casu controversiae, utrum qua res naturae doctrinalis sit an episcopo potestate officii eius reservetur, commissio theologica opinionem declarat suam de natura huius rei atque synodus ultimum facit decretum votis maioribus, et quidem duabus partibus e tribus. Si synodus secundum sententiam antecedentem rem esse decreverit, de qua ei ultimum decretum competit, cursus decernendi de re eiusmodi cursus decernendi habebitur de re principalis momenti.

§ 5

Structura synodi

(1) Membra synodi sunt:

- a) episcopus vel administrator ecclesiae,
- b) membra consilii synodalis,
- c) clerici ecclesiae vetero-catholicae rite constituti et assistentes pastorales, quibus munus pastorale demandatum est,
- d) electione delegati.

(2) Delegatos secundum art. 1 lit. d) singulae eligunt paroeciae filialesque paroeciae de membris suis secundum praescriptum speciale a consilio synodali editum, quod normam proportionalis

repraesentationis omnium paroeciarum in synodo observat. Hoc praescriptum consilium synodale faciens initium capit ex registro actuali membrorum paroeciarum filialiumque paroeciarum ecclesiae vetero-catholicae.

(3) Proportio delegatorum laicalium supradimidium facit erga membra clericalia.

§ 6

Competentia synodi

Synodus:

- a) confirmat Constitutionem ac mutat,
- b) praescripta edit Constitutionis executoria, et quidem: Ordinem synodi agendi; Ordinem episcopi et consilii synodalis eligendi atque auctoritatum eligendi administrationis a synodo institutarum, Ordinem oeconomicum, Ordinem disciplinarium iudicalemque,
- c) alia praescripta ecclesiae vetero-catholicae edit, mutat, supplet, nisi haec competentia per Constitutionem consilio synodali commissa est;
- d) ultima probat decreta de relationibus erga rem publicam, alias ecclesias et societates religiosas vel personas tertias, nisi decretum huiusmodi alii auctoritati administrationis per Constitutionem reservatum est,
- e) cum ultima vi in rebus clericorum laicorumque intra ecclesiam decernit,
- f) episcopum eligit, consilio synodali mandat, ut ab Internationali conferentia episcoporum Unionis Ultraiectensis ordinationem eius postulet, et de officio episcopi amittendo decernit,
- g) de eventuali materiali assecuratione officii episcopi exsequendi decernit,
- h) consilium synodale eligit (excepto episcopo, qui membrum est consilii synodalis potestate officii sui),
- i) membra commissionum synodi specialium eligit,
- j) contributionem ecclesiasticam imponit,
- k) rationem probat oeconomicam atque sumptum finalem ecclesiae vetero-catholicae,
- l) de extinctione ecclesiae vetero-catholicae ut personae iuridicae decernit.

§ 7

Convocatio synodi

(1) Synodus ordinaria minimum quarto quoque vel saepius anno. Diem sequenti synodo habendae synodus dicit sessione finiente.

(2) Synodum ordinariam episcopus convocat. Si episcopus, licet eum consilium synodale iterum admonerit, ordinariam synodum non convocat, ius id faciendi consilio synodali datur. Nisi consilium synodale quidem ordinariam synodum convocat, ius id communiter faciendi tertiae parti paroeciarum filiarumque paroeciarum datur.

(3) Episcopus synodum extraordinariam convocat

- a) proprio impulsu, postquam consilium synodale probavit,
 - b) si supradimidium consilii synodalis membrorum synodum extraordinariam convocandam postulat, vel
 - c) si minimum duae partes consilii synodalis postulant.
- Episcopus debet rogatu synodum convocare secundum puncta b) et c) intra quattuordecim dies, synodus convocata intra duos menses a convocazione fieri debet. Si episcopus secundum lit. b) et c) synodum non convocat, similiter secundum instituta § 7 art. 2. agitur.

§ 8

Sessiones synodi

- (1) Synodo episcopus praesidet, eo absente vicepraeses consilii synodalis. Quo etiam absente actis synodi membrum consilii synodalis praesidet, cui idem a synodo demandatum est.
- (2) Acta synodi publica sunt. Publicum rogatu episcopi, praesidis synodi vicarii, consilii synodalis vel minimum tertiae partis membrorum praesentium excludi potest, et quidem in omne tempus synodi aut in singula puncta peracta.
- (3) Nisi protinus aliud statutum, decernit supradimidium membrorum synodi praesentium. Synodus potest decernere, si ei supradimidium omnium membrorum eius interest.
- (4) Exsequens suam competentiam secundum instituta § 6 lit. b), c) et h) synodus decernit per supradimidium omnium synodi membrorum. Exsequens suam competentiam secundum institutum § 6 lit. a) synodus decernit per duas partes omnium synodi membrorum. Exsequens suam competentiam secundum instituta § 6 lit. e) et f) synodus praescriptum speciale sequitur. Decernens de re principalis momenti synodus decernit per tres partes omnium synodi membrorum.
- (5) Ad synodi decreti validitatem promulgatio eius necessaria est. Episcopus synodi decretum tardissime intra quattuordecim dies in Actis officialibus Ecclesiae vetero-catholicae in Re publica Bohemica promulgat. Synodi decretum, nisi aliud statuit, valet die promulgationis.
- (6) Propiores res synodi convocationis singulares eiusque actorum praescriptum speciale statuit.

CAPUT IV EPISCOPUS

§ 9

- (1) Per electionem ordinationemque potestate successionis eius in officio apostolico episcopi mandatum est munus triplex: communitatem fidelium ei commissam sanctificare, docere, regere. Episcopus omnia habet iura omniae obligationes, quae concilia oecumenica veteris et indivisae Ecclesiae atque traditio vetero-catholica, quae dubiosa fieri non potest, officio episcopi adscribunt. Munus episcopi regendi in circuitu hac Constitutione statuto consilium synodale participat.
- (2) Episcopus subiectum est principale vitae sacramentalis in ecclesia vetero-catholica. Ius est ei sacramentaliter agendi in omnibus paroeciis cultusque divini locis ecclesiae vetero-catholicae. Praesertim sacramenta et ordinationes episcopis reservatas tribuit.
- (3) Episcopus vitam ecclesiae liturgicam regit. Ius est ei cultus divini exercendi praedicandique in omni paroecia vel in omni cultus divini loco, quo ecclesia vetero-catholica utitur. Omnes paroecias et partes ecclesiae visitat, de effectu consilium synodale per protocollum visitationis certius facit. Si ad cultum divinum adest, auctoritate officii sui ei praesidet, nisi ab eo aliud decernitur. Res ecclesiae liturgicas pertractat, inspicit et synodo, resp. commissionibus eius formas mutationum eventualium proponit.
- (4) Episcopi ius est praerogativum ac obligatio verbi Dei in ecclesia vetero-catholica annuntiandi et docendi.
- (5) Episcopus etiam formationem spiritualem eruditionemque clericorum praestat.
- (6) Episcopus deinde imprimis:
 - a) synodum convocat,
 - b) res ecclesiae oeconomicas inspicit,
 - c) una cum consilio synodali praescripta decretaque ad ecclesiam vetero-catholicam pertinentia edit; haec praescripta tantum ad exsequendum et in finibus praescriptorum a synodo editorum edi possunt,
 - d) ecclesiam vetero-catholicam in foro externo repraesentat; de actis pro ecclesia vetero-catholica in foro externo consilium synodale in sessione eius sequenti certius facit.
- (7) Sedes episcopatus Praga est.

§ 10

Electio episcopi

- (1) Episcopum synodus eligit.
- (2) Sede episcopali vacante vicepraeses consilii synodalis synodum intra duos menses convocat ad episcopum eligendum. Institutum § 7 art. 2 sententiae 2 et 3 similiter adhibetur.
- (3) Ad munus episcopale sacerdos eligi potest, cui munus in ecclesia vetero-catholica demandatum est, qui minimum 35 annos natus est, tempore electionis minimum 10 annos in ministerio pastoralis ecclesiae vetero-catholicae efficax est, in finibus Rei publicae Bohemicae habitat, fidem, peritiam, mores atque qualitates personales difficultati exigentiaeque muneris episcopalis congruentes ostendit.
- (4) Electione sacerdos episcopus electus fit. Usque ad receptionem ordinis episcopus electus munere administratoris ecclesiae vetero-catholicae fungitur, sede episcopali vacante consilium synodale ab Internationali conferentia episcoporum Unionis Ultraiectensis intra 14 dies ab episcopo electo ordinationem eius postulat. Episcopus electus ordinatione episcopus fit.
- (5) Propiores res singulares episcopi electionis praescriptum speciale statuit.

§ 11

Finis muneris

- (1) Munus episcopi morte, renuntiatione ab officio – emeritura (resignatione vel aliter) vel privatione muneris a synodo extinguitur.
- (2) Episcopus in emerituram decedit 65 annos natus. Synodus episcopo permansionem eius muneris maximum in tres annos prorogare. Episcopi emeriti in ecclesia vetero-catholica honor est propter experientiam eius dignitatemque in ecclesia obtentam. Quantum fieri potest, rogatu episcopi officium exsequentis confirmationibus, ordinationibus sacerdotalibus atque aliis actibus sacramentalibus episcopo potestate ordinationis episcopalis propriis interest vel singularem administrationem spiritualem participat.
- (3) Ipso facto episcopus officium deficiendo a fide amittit, quam in ordinatione episcopali confessus est. In casu eiusmodi commissione theologica et Internationali conferentia episcoporum Unionis Ultraiectensis interrogata synodus amissionem officii confirmat.
- (4) Consilio synodali vel minimum dimidio paroeciarum filialiumque paroeciarum proponente synodus suffragium de privatione officii fert, si persona episcopi gravissimo modo contraria est

qualitatibus secundum § 10 art. 3, si episcopus gravi modo licentia sua obligationes suas negligit aut si diuturnum tempus propter valetudinem suam officio fungi non potest.

§ 12

Administrator ecclesiae

- (1) Sede episcopali vacata, resp. si electio episcopi non bene successit, consilium synodale intra 15 dies ad tempus novi episcopi eligendi administratorem ecclesiae eligit de sacerdotibus ecclesiae vetero-catholicae rite constitutis.
- (2) Administrator ecclesiae vetero-catholicae talem auctoritatem qualem episcopus possidet exceptis iuribus obligationibusque, quae sunt episcopi ordinationis episcopalis potestate, et excepta nominatione vicarii generalis.
- (3) Officium administratoris ecclesiae vetero-catholicae novi episcopi electione atque promissione extinguitur.
- (4) Munus administratoris ecclesiae vetero-catholicae novi episcopi electione ac promissione, morte administratoris, renuntiatione eius ab officio – emeritura (resignatione vel aliter) vel abrogatione eius a consilio synodali vel synodo extinguitur.

§ 13

Vicarius generalis

- (1) Episcopus ex consensu consilii synodalis vicarium generalem nominare e clericis potest, quibus munus in ecclesia vetero-catholica demandatum est. Clericus, qui consanguineus episcopi vel maritus sororis eius vel frater uxoris eius est, vicarius generalis nominari non potest.
- (2) Vicario generali ut episcopi legato constanti in toto episcopatu ordinaria plena potestas est in omnibus rebus administrationis. In rebus spiritualibus plenam habet potestatem in circuitu ab episcopo statuto.
- (3) Vicarius generalis de officio gerendo episcopo rationem reddit.
- (4) Vicarius generalis sessioni consilii synodalis interest. Si membrum consilii synodalis non est, praesente episcopo suffragium consultivum habet, absente eodem ius suffragii plenum habet, sed consilio synodali non praesidet.
- (5) Executio vicarii generalis officii finit:
 - a) morte,
 - b) resignatione,
 - c) abrogatione ab episcopo,
 - d) sede episcopali vacante.

CAPUT V
CONSILIUM SYNODALE

§ 14

(1) Consilium synodale ecclesiam vetero-catholicam tempore administrat, quo synodus sessionem non habet.

(2) Consilium synodale ex episcopo, tribus clericorum legatis, quinque laicorum legatis constat, quos synodus actis suis finientibus secundum praescriptum speciale ab eadem editum eligit. Membra consilii synodalis electa tantum personae fieri possunt, quae minimum tres annos ecclesiae vetero-catholicae participes sunt, quibus integritas civilis est et quae plene ad actus iuridicos aptae sunt. Excepto episcopo non licet plus quam tria membra consilii synodalis unius paroeciae filialisque paroeciae participia esse. Membrum consilii synodalis non potest fieri persona, quae aut consanguinea aut maritus sororis aut uxor fratris aut frater mariti aut soror mariti aut frater uxoris aut soror uxoris alicuius membri consilii synodalis est.

§ 15

Locus praesidis

Consilio synodali episcopus praesidet. Consilium synodale e membris laicalibus vicepraesidem consilii synodalis eligit. Episcopo absente vicepraeses consilii synodalis sessionem consilii synodalis dirigit atque alia munera ei hac Constitutione, decretis consilii synodalis vel praescriptis internis demandata exsequitur.

§ 16

Extinctio muneris membri consilii synodalis

(1) Munus membri consilii synodalis electi tempore muneris exacto, morte, resignatione, praesumptionibus potestatis eligendi amissis, egressu ab ecclesia vetero-catholica extinguitur. Integritatem amissam consilium synodale per supradimidium omnium membrorum suorum confirmat. Munus membri consilii synodalis laicalis electi etiam ordinatione eius extinguitur.

(2) Tempus consilii synodalis muneris a momento eiusdem eligendi durat ad momentum novi consilii synodalis eligendi.

(3) Si locus membri consilii synodalis vacat tempore muneris nondum exacto, persona supplens locum eius obtinet. Personae supplentes duo candidati membri consilii synodalis (laicus et clericus) sunt, qui suffragiis in electione consilii synodalis deficientis non electi sunt, sed inter candidatos non electos maximum suffragiorum numerum obtinuerunt. Si locum vacatum persona supplens obsidere non potest, fieri potest, ut consilium synodale eligendo in

locum eiusmodi vacatum alium membrum cooptet, et quidem in locum clerici vacatum personam e clericis rite constitutis, in locum laici vacatum personam e membris alicuius consilii paroecialis vel alicuius consilii filialis paroeciae.

§ 17

Competentia consilii synodalis

Consilium synodale:

- a) bona ecclesiae vetero-catholicae administrat,
- b) consilii synodalis decreta in vitam inducit et ad ipsum usum una cum episcopo praescripta edit,
- c) rationem oeconomicam atque sumptum finalem ecclesiae vetero-catholicae synodo proponit,
- d) consilium synodale quotannis relationem annum publicat,
- e) personas iuridicas ecclesiasticas, instituta specialia instituit, participationem personarum iuridicarum probat,
- f) negotia instituit ac explet mandans variarum munerum in ecclesia vetero-catholica executionem,
- g) administratorem ecclesiae vetero-catholicae eligit atque abrogat,
- h) ecclesia vetero-catholica ut persona iuridica extincta modum liquidationis et liquidatorem statuit.

§ 18

Sessiones consilii synodalis

(1) Consilium synodale secundum usum convenit, minimum autem quarto quoque mense. Consilium synodale praeses in die convocatur, quae in sessione antecedenti statuitur. Nisi praeses immo iterato monitu consilium synodale convocatur, potest convocari minimum a supradimidio membrorum eius.

(2) Consilium synodale decernere potest, si minimum quinque membra eius adsunt. Acta sua per supradimidium probat omnium suorum membrorum praesentium. Paribus sententiis praeses decernit.

(3) Consilium synodale agit secundum agendi ordinem, quem initio omnis sessionis probat, et ad omne agendi punctum decretum probat.

(4) Consilii synodalis decreta intra quattuordecim dies a praeside vicepraesideque consilii synodalis in Actis officialibus Ecclesiae vetero-catholicae in Re publica Bohemica promulgantur. Consilii synodalis decretum, nisi aliud statuit, valet die promulgationis.

CAPUT VI
CONGREGATIONES

SECTIO PRIMA
PAROECIA

§ 19

(1) Paroecia communitas fidelium ecclesiae vetero-catholicae localis est, quae in incertum instituitur et in qua administratio spiritualis sub auctoritate episcopi parochi mandata est.

(2) Paroecia rite constituta persona iuridica autonoma est. Nomen personae iuridicae est: „Paroecia Ecclesiae vetero-catholicae in...“.

(3) In foro externo paroeciam parochus, resp. administrator paroeciae atque praeses consilii paroecialis repraesentat.

§ 20

(1) Paroeciae instituuntur ut communitates fidelium locales ecclesiae vetero-catholicae adiunctae.

(2) Membra paroeciae in evidentiā in registro membrorum paroeciae habentur. Participatio in una paroecia vel paroecia filiali tantum fieri potest. Ascriptioni in registro membrorum congregationis facultas iurium membri paroeciae persequendorum e Constitutione hac sequentium adnectitur.

§ 21

Ortus et extinctio paroeciae

(1) Consilium synodale de ortu aut extinctione paroeciae ut personae iuridicae secundum ius Rei publicae Bohemicae decernit. Ad ortum paroeciae opus est minimum 30 membris plus quam 15 annos natis. In casibus argumentis confirmatis consilium synodale exceptionem a hoc instituto concedere potest.

(2) Postquam de paroecia instituenda decretum est, auctoritas ecclesiae vetero-catholicae competens sine supervacanea mora registrationem paroeciae ut personae iuridicae secundum ius Rei publicae Bohemicae proponit.

§ 22

Administrationem paroeciae pastoralem parochus ac episcopus exsequuntur. In ceteris rebus paroecia a coetu paroeciae atque consilio paroeciali secundum instituta huius Constitutionis administratur.

Auctoritates paroeciae

Coetus paroeciae

§ 23

(1) Auctoritas omnem paroeciam repraesentans coetus paroeciae est.

(2) Membra coetus paroeciae omnia sunt membra paroeciae in registro membrorum paroeciae competentis ascripta, quae 15 annos impleverunt. Coetui etiam legatus consilii synodalis interesse potest, cui autem nullum ius suffragii est.

§ 24

Coetus paroeciae

- a) parochum eligit ac abrogat,
- b) consilium paroeciale eligit ac abrogat,
- c) delegatos paroeciae ad synodum eligit,
- d) rationem oeconomicam atque sumptum finalem paroeciae probat,
- e) decernit de contributione ecclesiastica colligenda, si per decretum synodi statuta est,
- f) decernit de usu partis contributionis ecclesiasticae ad necessitates paroeciae universales,
- g) decernit de bonis paroeciae solute moderandis; si de actu ad bona immobilia pertinenti agitur, decretum coetus paroeciae sub consensum consilii synodalis subiectum est,
- h) propositiones ad acta synodi offert,
- i) propositionem synodi irregularis convocandi probat,
- j) ex consensu consilii synodalis personas iuridicas paroeciae instituit.

§ 25

l) Coetus paroeciae secundum usum fit, minimum autem semel pro anno.

(2) Coetum paroeciae consilium paroeciale una cum parochi convocatur. Convocator debet notificationem coetus paroeciae convocandi iterata notificatione in cultibus divinis regularibus, edicto ac modo facultatem ex longinquo accessionis attribuenti minimum unum mensem ante terminum coetus paroeciae agendi propositum publicare ordinem agendorum propositum proferens. Coetus paroeciae semper convocatur, cum id minimum decem partes membrorum paroeciae pro centum postulant. Solutio eventualis de coetu paroeciae convocando controversiae sub competentia cadit episcopi vel consilii synodalis.

(3) Actibus coetus paroeciae praeses consilii paroecialis praesidet eaque dirigit.

(4) Coetus paroeciae potest decernere, si minimum quindecim partes membrorum coetus paroeciae pro

centum adsunt. Cum coetus paroeciae convocatus institutum primae sententiae non implevit, coetus iterum convocatus sine respectu numeri praesentium decernere potest. Coetus paroeciae decreta per supradimidium membrorum coetus paroeciae praesentium probat.

(5) De actis coetus paroeciae protocollum conficitur, quod praeses consilii paroecialis coetu paroeciae finito consilio synodali sine mora mittit.

Consilium paroeciale

§ 26

(1) Consilium paroeciale constans paroeciae legatio est.

(2) Membra consilii paroecialis sunt:

- a) parochus vel administrator, cui id ab episcopo demandatum est,
- b) legati paroeciae electi.

§ 27

(1) In consilium paroeciale minimum 4, maximum 10 membra a coetu paroeciae eliguntur.

(2) Condicio membri consilii paroecialis - laici eligendi participatio est paroeciae minimum annua, duodevicesimus aetatis annus expletus, plena ad actus iuridicos sufficientia.

(3) Tempus muneris membrorum consilii paroecialis electorum biennale est, electio iterata admittitur.

(4) Si locus membri consilii paroecialis electi vacat tempore consilii paroecialis muneris nondum exacto, consilium paroeciale personam supplementem e membris paroeciae eligit; condiciones laici eligendi et condiciones membri consilii paroecialis ordinarii eligendi eadem sunt.

§ 28

Munus membri consilii paroecialis electi extinguitur:

- a) tempore muneris exacto,
- b) morte,
- c) resignatione,
- d) abrogatione a coetu paroeciae.

§ 29

Consilium paroeciale e membris suis laicalibus praesidem eligit.

§ 30

Consilium paroeciale:

- a) formam rationis oeconomicae sumptusque finalis paroeciae parat,

b) apparitores paroeciae instituit,

c) omnia negotia ad administrationem progressionemque paroeciae pertinentia exsequitur, nisi hac Constitutione coetui paroeciae aut parochi aut administratori mandata sunt.

§ 31

(1) Consilium paroeciale secundum usum convenit, minimum autem quater in anno. Sessionem consilii paroecialis praeses consilii paroecialis cum parochi pactus informaliter convocat. Sessionem consilii paroecialis praeses consilii paroecialis dirigit, eo absente quilibet membrorum consilii paroecialis.

(2) Consilium paroeciale potest decernere, si ei supradimidium omnium membrorum eius interest. Ad decretum consilii paroecialis probandum opus est supradimidio membrorum consilii paroecialis praesentium.

(3) De actis consilii paroecialis protocollum conficitur, quod apud praesidem consilii paroecialis membris paroeciae ad inspiciendum est.

Parochus

§ 32

Parochus munus ecclesiae pastorale participat. Sub auctoritate episcopi atque cum consilio synodali congregationis coniunctus paroeciam regit. Peculiari modo munus annuntiandi, sacramenta celebrandi, cura pastoralis, diaconia in paroecia ab eo recta eius sunt. Parochus omnibus in finibus eius pastoralibus versantibus vetero-catholicis ad ministeria spiritualia obstrictus est sine respectu, cuius paroeciae participes sint.

§ 33

Institutio parochi atque administratoris paroeciae

(1) Parochus a coetu paroeciae eligitur. Ex electione ab episcopo nominatur. Adversus nominandi reiectionem et parochus electus et paroecia ius habet provocandi in tempore unius mensis ad consilium synodale. Adversus consilii synodalis decretum licet ad synodum provocari.

(2) Episcopus e consensu consilii synodalis administratorem paroeciae de clericis ecclesiae vetero-catholicae nominare potest, si:

- a) coetus congregationis executionem iuris suffragii congregationis deponit,
- b) electio parochi non potest fieri, aut
- c) congregatio novissimo biennio etsi admonita suo iure suffragii non usa est.

§ 34

Praesumptio parochi eligendi

Ut eligi possit, candidatus particeps communitatis sacerdotum ecclesiae vetero-catholicae secundum § 49 huius Constitutionis esse debet.

§ 35

Inauguratio

(1) Episcopus aut sacerdos, cui id ab eo demandatum est, parochum in cultu divino inaugurat. In hoc cultu divino parochus Symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum pronuntiat ac Declarationem Ultraiectensem A. D. 1889 promulgatam profitetur.

(2) Ante inaugurationem secundum articulum antecedentem parochus nominatus una cum consilio synodali inventarium suppellectilis ecclesiae, archivi paroeciae ceterumque bonorum inspiciunt et protocollum de his rebus conficiunt.

(3) Ante inaugurationem parochus ab episcopo mandationem administrationis paroeciae ac excerptum e registro iuridicarum personarum ecclesiasticarum obtinet.

§ 36

Munera parochi

(1) Parochi ius est exclusivum ad munus clericale exsequendum, quod ex ordinatione eius in finibus paroeciae eius sequitur. Hoc institutum ad iura episcopi non pertinet. Alius clericus ecclesiae vetero-catholicae in finibus huiusmodi paroeciae efficax fieri potest, si id ipsi ab episcopo concessum est vel a parochi delegatus est vel in casu necessitatis.

(2) Parochus una cum consilio synodali registrum membrorum paroeciae curat. Hoc registrum nomina ac domicilia eorum, diem nativitatis, diem baptismatis vel adiunctionis ecclesiae vetero-catholicae, statum personalem (die nuptiarum inclusa), professionem et cetera indicia ad statum membri in congregatione valentia continet. Parochus ac consilium paroeciale registrum membrorum continuo ad tempus praesens adaptant.

(3) Parochus omnem documentationem ad paroeciam pertinentem in archivum includendam praestat.

(4) Parochus etiam alia munera specialibus praescriptis synodi vel consilii synodalis vel decretis ipsorum statuta exsequitur.

§ 37

Finis muneris parochi et traductio administratoris ad alium munus ecclesiasticum

(1) Munus parochi extinguitur:
a) morte,

- b) decessu in emerituram in aetate 65 annorum,
- c) privatione muneris (praescripto speciali ordinatur)
- d) resignatione
- e) abrogatione a coetu paroeciae
- f) paroeciae extinctione.

(2) De traductione administratoris ius decernendi episcopo est e consensu consilii synodalis, si

- a) paroecia extincta est vel
- b) id ecclesiae commodi causa necesse est; antequam decernitur, opus est administratorem, ad quem decretum pertinet, et consilium paroeciale, de qua agitur, interrogari.

(3) Parochi vel administratore decedente inventarium inspiciunt. De inventario inspiciendo protocollum conficitur, quod pars archivi paroeciae documentationis erit.

Clericus auxiliaris

§ 38

(1) Clericus auxiliaris clericus est, cui negotia in munere clericali demandantur, ubi parochus vel administrator paroeciae administrationem clericalem autonomam exsequitur.

(2) Clerico auxiliari munus in paroecia ab episcopo rogatu coetus paroeciae demandatur. Parochi (administratori) et consilio paroeciali subordinatus est, quibus de opera exsequenda rationem reddit. De abrogatione eius episcopus coetu paroeciae conscio decernit.

(3) Status clerici auxiliaris etiam clerico competit, cui munus clericale peculiare demandatum est.

Diaconus in paroecia

§ 39

Diacono ab episcopo munus in paroecia competenti demandatur, ab episcopo abrogatur. Parochi ac consilio paroeciali in promptu est intuitu naturae muneris sui.

Instituta specialia de paroeciis sine auctoritatibus

§ 40

(1) Munere parochi finito episcopus sine mora administratorem paroeciae nominat, et quidem ad tempus, quo parochus novus eligitur. Administratori omnia sunt iura congruenter gradui ordinationis eius. Administrator de officio suo episcopo consilioque synodali rationem reddit ac indicationibus eorum obligatur, nisi aliud decernunt. Administrator paroeciae per litteras ab episcopo nominatur atque consilio synodali consentiente abrogatur.

(2) Nisi consilium paroeciale in paroecia institui potest, coetus paroeciae unum membrum paroeciae laicale eligit, quod condiciones eligendi in consilium paroeciale secundum hanc Constitutionem implet. Hoc membrum paroeciae una cum parochus aut, si idem non exstat, cum administratore legationem paroeciae facit. Legatio paroeciae munus consilii paroecialis exsequitur. Legatio paroeciae unanimiter decernit.

**SECTIO SECUNDA
PAROECIAE FILIALES**

§ 41

(1) Paroeciae filiales ut communitates locales ecclesiae vetero-catholicae adiunctorum fidelium instituuntur.

(2) Membra paroeciae filialis in registram membrorum paroeciae filialis conscribuntur. Cum conscriptione coniuncta est facultas iurium membri congregationis persequendorum e hac Constitutione sequentium.

§ 42

Ortus et extinctio

(1) Consilium synodale de ortu vel extinctione paroeciae filialis decernit. Ad ortum paroeciae filialis opus est minimum 15 membris plus quam 15 annis natis. Consilium synodale in casibus argumentis confirmatis exceptionem a hoc instituto concedere potest. Si paroecia filialis in finibus alicuius paroeciarum oriri debeat, opus est consensu coetus paroeciae competentis. Consilium synodale petitionem pertractat ac paroecia competenti consentiente episcopus cum consilio synodali paroeciam filialem instituit.

(2) In casu paroeciae filialis registrandae ut personae iuridicae secundum ius Rei publicae Bohemicae auctoritas ecclesiae vetero-catholicae competens registrationem eius proponit.

§ 43

Paroecia filialis ex decreto consilii synodalis persona iuridica fieri potest. Nomen personae iuridicae est igitur: „Paroecia filialis Ecclesiae vetero-catholicae in...“.

Administratio paroeciae filialis

§ 44

Administrator paroeciae filialis

Episcopus paroeciae filiali administratorem paroeciae filialis nominat. Administratori paroeciae erga paroeciam filialem omnia iura obligationesque sunt sicut parochus erga paroeciam. De congregatione

administranda episcopus et consilium synodale regulariter certiores facit. Administrator paroeciae filialis, qui simul parochus vel administrator paroeciae est, paroeciam filialem congruenter cum consilio paroeciae competentis administrare debet, dum administratio paroeciae filialis ipsius periclitanda aut graviter perturbanda non est.

§ 45

Coetus paroeciae filialis

Auctoritas omnem paroeciam filialem repraesentans coetus paroeciae filialis est. Membra coetus paroeciae filialis omnia sunt membra paroeciae filialis in registro membrorum paroeciae filialis competentis conscripta, quae minimum 15 annos nata sunt.

Coetus paroeciae filialis:

- a) consilium paroeciae filialis eligit et abrogat,
- b) synodi delegatos eligit,
- c) propositiones ad acta synodi offert,
- d) de bonis paroeciae filialis solute moderandis decernit; si de actu ad bona immobilia pertinenti agitur, coetus paroeciae filialis decretum sub consensum consilii synodalis subiectum est.

De coetu paroeciae filialis convocando, facultate eius decernendi et decreta probandi accommodate instituta de coetu paroeciae valent.

§ 46

Consilium paroeciae filialis

In paroecia filiali consilium paroeciae filialis ut legatio paroeciae filialis constans instituitur. Consilium paroeciae filialis administrator paroeciae filialis ac minimum 2 membra paroeciae filialis a coetu paroeciae filialis electa faciunt. De consilio paroeciae filialis eligendo eiusque statu accommodate instituta de consilio paroeciali valent. Sessione consilii paroeciae filialis finita administrator sine mora protocollum de actis consilio synodali ad aestimandum mittit.

**SECTIO TERTIA
DIASPORA**

§ 47

Fidelibus vetero-catholicis extra fines habitantibus congregationis ecclesiasticae, in qua conscripti sunt, clericus congregationis proximae munus spirituale procurat, nisi episcopus et consilium synodale aliud decernunt. Si extra fines paroeciae vel paroeciae filialis gregiculus minimum quinque fidelium vetero-catholicorum occurrit, ius est ei a consilio synodali administrationis clericalis ad tempus factae petendae. In casu huiusmodi episcopus in cooperatione cum consilio paroeciae proximae uni laicorum loco dispersionis/diasporae demandare potest, ut conventus spirituales regat aut liturgiam Verbi

exerceat, et, si fieri potest, atque interdum commorationem clerici procurat.

CAPUT VII CLERUS

§ 48

(1) Clericus persona est, quae membrum ecclesiae vetero-catholicae est atque sacramentum ordinationis ad officium statutum recepit, vel cui receptio eiusdem ordinationis in alia ecclesia comprobata est.

(2) Clerus circa episcopum congregatur. Episcopus actiones clericorum sacramentales statuit ac praxim eorum tuetur, quo modo clericis adiuvantibus vitam ecclesiae vetero-catholicae sacramentalem procurat.

(3) Clerici ecclesiae vetero-catholicae actiones praestant sacramentales secundum ordinationes suas atque exercitationes ceterarum auctoritatum, quae eis ab ecclesia vetero-catholica mandata sunt.

§ 49 **Sacerdotes**

(1) Sacerdos in ecclesia vetero-catholica est:

- a) membrum ecclesiae vetero-catholicae, quod ordinationem competentem recepit,
- b) membrum ecclesiae vetero-catholicae in alia ecclesia ordinatus, quod condiciones praescripto synodi speciali statutas implevit,
- c) sacerdos ecclesiae, quae Unionis ecclesiarum vetero-catholicarum Ultraiectensis particeps est, vel ecclesiae, quacum ecclesia vetero-catholica plenam communionem sacramentalem habet, ab episcopo in rationem ex foedere ortam acceptus aut ab episcopo ad agendum sacerdotale in finibus ab eodem administratis approbatus.

(2) Summa missio sacerdotum in ecclesia vetero-catholica ministerium est sacramentale secundum ordinationem eorum, administratio vetero-catholicorum spiritualis in locis illorum agendi, catechesis, evangelizatio resp. et institutio religionis in scholis publicis.

(3) Ad presbyteratum ordinari tantum aspirans ad presbyteratum potest, qui condiciones praescripto synodi speciali statutas implet.

§ 50 **Diaconi**

(1) Diaconus in ecclesia vetero-catholica est:

- a) membrum ecclesiae vetero-catholicae, quod ordinationem diaconalem recepit,
- b) membrum ecclesiae vetero-catholicae in alia ecclesia ordinatum, quod condiciones praescripto synodi speciali statutas implevit,

c) diaconus ecclesiae, quae Unionis ecclesiarum vetero-catholicarum Ultraiectensis particeps est, vel ecclesiae, quacum ecclesia vetero-catholica plenam communionem sacramentalem habet, ab episcopo in rationem ex foedere ortam acceptus aut ab episcopo ad agendum diaconale in finibus ab eodem administratis approbatus.

(2) Summa missio diaconorum in ecclesia vetero-catholica ministerium est egenis (opera caritatis, diaconia), cura pauperum, infirmorum senumque, catechesis, evangelizatio resp. et institutio religionis in locis illorum agendi. Diaconi in promptu episcopo et secundum indicationes eius etiam aliis clericis in administratione spirituali ac vita liturgica procuranda sunt. Secundum ordinationem suam ecclesiae vitam sacramentalem participant.

(3) Ad diaconatum ordinari tantum aspirans ad diaconatum potest, qui condiciones praescripto synodi statutas implet.

CAPUT VIII ASSISTENTES PASTORALES

§ 51

(1) Consilio paroeciali proponente, parrocho (administratore paroeciae) vel consilio paroeciae filialis consentiente atque administratore paroeciae filialis consentiente assistentes pastorales in congregatione institui possunt. Instituuntur abroganturque ab episcopo, iura ac obligationes clericorum auxiliarium eis sunt excepto ministerio sacramentali clericis reservato.

(2) Assistens pastoralis membrum est ecclesiae vetero-catholicae, cui a clerico opera systematica in cura pastorali, catechesi, evangelizatione, institutione religionis aut labore cum liberis, infirmis vel pauperibus in mundo spiritualis administrationis singulari praestanda mandata est.

(3) Assistens pastoralis tantum membrum ecclesiae vetero-catholicae nominari potest, quod condiciones praescripto synodi speciali statutas implet.

CAPUT IX INSTITUTA DISCIPLINARIA

§ 52

Membris ecclesiae vetero-catholicae obligationes et instituta sua hac Constitutione data recte non implentibus poena disciplinaria irrogari potest, quam episcopus, consilium synodale ac synodus in auctoritatum circuitu praescripto speciali statutarum irrogat.

CAPUT X
INSTITUTA FINALIA

§ 53

(1) Haec Constitutio Ecclesiae vetero-catholicae in Re publica Bohemica a XLVI. synodo ecclesiae vetero-catholicae diebus I-II mensis Octobris A. D. MMX facto probata est et a die I mensis Januarii A. D. MMXI valet.

(2) Haec Constitutio cum iuris praescriptis Rei publicae Bohemicae concordat.

(3) Hac Constitutione Ecclesiae vetero-catholicae in Re publica Bohemica probata Ordo synodi ac ordo congregationum ecclesiasticarum Ecclesiae vetero-catholicae die XV mensis Novembris A. D. MCMXCVII probatus ad diem XXXI mensis Decembris A. D. MMX validitatem amittit.

(4) Haec constitutio ad instituta foederis episcopi Ecclesiae vetero-catholicae in Re publica Bohemica cum episcopo Anglicano e Calpe in Europa die XVII mensis Septembris A. D. MM facti non pertinet.